39162

GLADIVS DOLORIS.

acie quintuplici acutus.

ANIMAM

Matris DEI patientis, REGINÆ Martyrum,

PERTRANSIENS.

In officinâ pietatis, Collegij Lubransciani Academiæ Posnan.

RECVSVS.

atque

Ad Imaginē dolorosæ Matris Misericordiæ, in vestibulo Collegij Majoris, Almæ Vniuersitatis, Studij Cracouień. pietate D. IOANNIS CANTII, miraculisq; claram, votivi anathematis loco,

APPENSVS.

Anno Domini 1675. intra ferias Hebdomadæ Sanctæ.

PROLOGVS.

DOlores patientis Filij DEI, communicati fuerunt omnes, Virgini Matri eius. *Scriptura.* Et tuam ipsius animā doloris gladius pertransibit. *Luc.* 11. Eccl. Regina Martyrum. D. D. Bonaueń. *Ser.* 1. infr. Dom: Epiph: In animo illi Martyri, Commartyr adstabat, vulnerato convulnerata: crucifixo concrucifixa, gladiato congladiata. Berń, *Thom.* 1. *Serm.* 16. Tantus fuit dolor Virginis, ut si in omnes creaturas, quæ pati possunt diuideretur; omnes subitò interirent. S. Thom. dicitur Martyr. Ansel: & alijs plusquam Martyr. Nec obstat. *imo Isai:* 63, Torcular calcaui solus. quia subditur, ibi. Et de gentibus non est vir mecum: vt excludantur omnes, præter MARIAM. 2 Io. Sancti maximam dulcedinem hauriunt compatiendo Christo: quia hoc currit, quoad partem animæ superiorem; non quoad inferiorem. *M. Albert: sup. Missus est.*

ANTIPROLOGVS.

ZElus animæ compatientis, ab assistrice Intelligentia, edocetur non alias efficacius compati quemquam, Christo patienti posse; quàm per dolores Mariæ: symbolo speculi pellucentis, in quo collecti solares radij, quæuis opposita comburunt: & lapidis ex collisione admoti ferri, ignem producentis. Speculum igitur oculis, gladium pectori admouet. vt repercussos in illo Solis Iustitiæ labores, cõtempletur: in isto Lapidis quem reprobauerũt, pressuram intimè persentiscat.

FIlius patiebatur, Mater compatiebatur passionibus Filij, & compatiendo patiebatur. Filius quoq; in Matre residens per amorem, rursus compatiebatur passionibus, quas Mater ferebat ex eius compassione. Itaq; si Mater magis patiebatur, quã Filius, ipsi compatiendo, quia magis in Filio erat, quàm Filius in seipso; certè Filius magis patiebatur, compatiẽdo passionibus compatientis Matris; quia in Matre pariter magis erat, quàm Mater in se ipsa. Carol. de Racon. de princ. act. Sec. 291. art. 4to.

CHORICVM.

Divus humani generis Amor. 1mo. Instrumenta passionis Dominicæ adaptat. quæ In speculo cordis Virginei repercussa, quomodo ad vivum repræsententur, Zelus animæ cõpatientis, dolenter obseruat. 2do. Quintuplicem gladium, animam Virginis Matris transverberantẽ, sub incude, ad harmonicum malleorum ictũ format, ac quinq; Dolorũ acerbissimis, Valedictio, Occursio, Crucifixio, Depositio, Sepulturio, examinandũ tradit. Zelus animæ, in se conuerti tela iubet, millies mori optans.

QVot læsiones in corpore Christi, tot vulnera in corde Matris: quot claui perforantes, quot ic... percutientes & carnem rumpentes, tot sagittæ per oculos intrantes, & totum cor ac animam Virginis vulnerantes. Hier. in Ser:

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te Filia Hierusalem: cui adæquabo te & consolabor te Virgo Filia Syon? magna enim est velut mare contritio tua! Quis medebitur tui. Thren. 2.

Audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum! Thren. 1. Dolores partûs, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiens. Damas. L. 4. de fid. cap. 51.

Plusquàm Martyr fuit? quia in animo, non minus amoris, quàm mœroris, est intus gladio vulnerata: parata enim stetit, si non deesset manus percussoris. Ild. ser. 2. de Assumpt.

Quis mihi det? ut ego moriar pro te. 2. Reg. 18.

O mirabilis censuræ conditio! excessit iniquus, & vapulat iustus; deliquit homo reus, & occiditur Homo Deus, flet & lamentatur innocentissima Virgo Mater eius. Bern. in Medit.

EPI-

EPISODIVM.

DOlores deſæuiũt, in cor Matris Virginis.

Zelus animæ cõpatientis, excipere ictus omnes, imo pectore geſtit.

1. VALEDICTIVS.

Vivus eſt ſermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſq; ad diuiſionem animæ & ſpiritûs ad Heb. 4.

Ferrum pertranſijt animam eius. Pſal 104.

2. OCCVRSIVS.

Quo abijt dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum. Cant. 5.

Vidimus eum & non erat ei aſpectus, & deſiderauimus cũ deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem. Iſai. 53.

3. CRVCIFIXIVS.

Fac ſerpentem æneum & pro ſigno pone eum, qui percuſſus adſpexerit eum, viuet. Num. 40.

Sol vertetur in tenebras & luna in ſanguinem. Ioël. 2.

OPprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ. Sapien. 2. Subuerſum eſt cor meum in me metipſa, quoniam amaritudine plena ſum. foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt. Thr. 1.

O me felicem! ſi ſummâ ſaltem quaſi cuſpide huius gladij, pungi interdum me ſentero. Quis mihi tribuat? in hunc modum! non modo vulnerari: ſed & expugnari omnino, uſq! ad exterminationem coloris & caloris illius, qui militat aduerſus animam. Bern. ſerm. 19 .in Cant.

1 Sara vnico Iſaaco, in montem Moria tendenti, ut immoletur, vltimos amplexus offert. Conſcia enim fuit necis futuræ. Aug. ſerm. 73 tom. 10. Seorſum colloquens cum eâ & copiam ei ſuæ præſentiæ præbens, quam breui ſubtracturus erat ab ea, Bon: in Medit. vitæ Chriſt. cap. 72.

Quia mente paſſa eſt, plus quàm Martyr fuit: nimirum & eius dilectio amplius fortis, quàm mors fuit quia mortem Chriſti ſuam fecit. Hier: ſer. de Aſſump.

2. Surgam & circumibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea; vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris. Cant. 4.

Accinctæ mulieres cilicijs pectus, per plateas confluebant: ſed & virgines quæ concluſe erant procurrebant ad Oniam. Mach. 3. Mœſtiſſimo Filio, mœſtiſſima Mater occurrit Bon. lo. cit. cap. 77 Chriſti morientis vulnera, Matris erant; doloreſque Matris Chriſti fuerunt, & dolores Nati, Matris animam gladiauerunt. Bern. de Virg. compaſ.

3. Mater Machabæorum, ſeptem filios pereuntes, vnâ die adſpexit. 2do Mach 7. Quos educaui & enutriui inimicus conſumpſit eos Thren. 2. Stabat iuxta crucem Mater eius. Ioan. 19.

Quis æſtimare poterit? quantâ triſtitiâ mœrore & dolore vulnerabatur cor maternũ, ſuper vnici & naturalis Filij paſſione? quem tam caſtè concepit, tam gaudioſe peperit, tam dulciter aluit. Vidit eum ligatum & ſoluere non potuit. vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit. vidit ſanguinem in faciem fluere, & abſtergere nequiuit: caput inclinatum & ſuſtentare non potuit: flentem & præ triſtitia conſolari nequiuit audiuit eum dicentem ſitio, & ei aquam miniſt... Anſel.

4. DEPOSITIVS.
Plangent eum planctu, quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. Zach. 12.
Expandit Syon manus suas, non est qui consoletur eam. Threñ. 1.

4. Posuit eum illa, super genua sua, vsque ad meridiem, & mortuus est. 4. Regum 4. Fasciculus myrrhæ, dilectus meus, inter ubera mea cõmorabitur. Cañ. 1. E cruce depositus, gremio materno excipitur. Etiamnum locus ostenditur. Andrich. in descript. Hierus.
Verè tuam ô B. Mater animam, gladius pertransiuit! quando crudelis lancea, Filio iam mortuo, latus aperuit. Ipsius enim anima iam ibi non erat; sed tua plane auelli nequibat: vt plusquàm Martyrem meritò te prædicemus, in qua sensum corporeæ passionis, excessit affectus compassionis; Bern. ser. de Ann.

5. SEPVLTVRIVS
Sicut fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius Hominis in corde terræ. Matt. 12. Facta est quasi vidua, Dña gentium: plorãs plorauit nocte & lachrymæ eius in maxillis eius; non est qui consoletur eam, ex omnibus caris eius. Threñ. 1.

5. Respha filios in crucem actos seruat, donec sepulturæ tradantur. 2. Reg. 21. Posuit eum in monumẽto. Et aspiciebant, ubi poneretur. Marc. 15.
Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ! Nunc soluis Virgo cum vsurâ! quod in partu, non habuisti à naturâ. Dolorem pariendo Filium non sensisti, quẽ millies replicatum, Filio moriente passa fuisti. Berñ. in Lament. B. MARIÆ.

Inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exo. 25:

E X O D V S.

Amor confossum cor Virginis Matris, eodem in monumento, cum Filio ponit.
Zelus animæ compatiẽ, consepulto, suo cum dilecto, cordi Virginis Matris, Epicedium dicit.
Amor Epithaphium inscribit.

Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Matt. 6. Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram; sed vocate me Mara, id est amaram: quia amaritudine, valde repleuit me omnipotens. Egressa sum plena & vacuam reduxit me Dominus.
Quæ terra susceperit morientem, in eâ moriar, ibique locum accipiam sepulturæ. Ruth. 1.
Compatimur, ut conglorificemur. Rom. 8.

E P I L O G V S.

Mater Dei dolorosa, omnium aureolarum præmia meruit.
M. Alber. super Missus est. Cap. 119.